



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 203. Quotuplex olim fuerit, & modo sit cognatio spiritualis Matrimonium dirimens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



# TITULUS XI.

## De cognatione spirituali.

*Quaest. 202. Quid sit cognatio spiritualis & unde oriatur.*

**R** Esp. Definiri passim solet, quod sit propinquitus quaedam personarum, jure ecclesiastico sic statuente, orta ex collatione & susceptione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis. Sanch. l. 7. de mat. d. 54. num. 1. Castrop. tr. 28. d. 4. p. 9. num. 1. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 1. Pirh. h. t. n. 1. Dicitur primò *propinquitus personarum*: quod est genus, in quo convenit cum cognatione carnali; dicitur secundò: *jure ecclesiastico statuente*: quod enim oriatur ex dictorum Sacramentorum susceptione & collatione, non est à jure naturali, utpote in quo dicta Sacramenta fundamentum non habent; neque à jure divino positivo; cum nullibi in scriptura hujus cognationis fiat mentio. Occasionem verò introducendi hanc cognationem sumpsit Ecclesia à cognatione carnali; eò quod, cum per Baptismum generetur seu regeneretur homo, & per confirmationem roboretur spiritualiter, sive ut ex D. Thom. Vivian. in *ration. ad c. nedum. h. t. in 6.* quod Baptismus assimilatur nativitati corporali hominis in utero, confirmatio nativitati ex utero, baptizatus & confirmans, item patrini intelligantur esse parentes spirituales, & quia magna his parentibus, non secus ac parentibus carnalibus à filiis debetur reverentia, statuit Ecclesia, ut hæc cognatio non minus quam carnalis esset impedimentum dirimens matrimonium. Dicitur tertio: *Orta ex Baptismi & confirmationis susceptione & collatione*: quia ex nullis aliis Sacramentis oritur dicta cognatio, ut expressè dicitur in *c. quamvis h. t. in 6.* Rationem dante ex D. Thom. Sanch. l. c. num. 6. quod reliqua Sacramenta non conferant gratiam per modum regenerationis spiritualis; atque ita in specie non contrahitur hæc cognatio ex Sacramento Pœnitentiæ inter confessorium & pœnitentem; his non obstantibus, quod Symmachus Papa c. omnes 30. q. 1. dicat: *omnes, quos in pœnitentiâ accipimus, filii nostri sunt, sicut quos vel nobis suscipientibus unda sacri Baptismi regeneravit &c.* cum contrarium constet ex *cit. fin. h. t. in 6.* quidquid de cætero sit de hoc, num sit circumstantia sacrilegii necessario in confessione exprimenda, si confessorius cum filia confessionis fornicetur, ut ex similibus juris textibus colligunt & tenent cum S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. (ubi id vocat spirituale stuprum) Sanch. l. c. d. 55. n. 4. Vivald. in *candelab. de confess. ubi de circumstant. peccat. num. 20.* Cón. d. 32. du. 2. n. 23. & alii apud Laym. *cit. c. 8. n. 9.* contra Sa v. *confessio. n. 25. &c.*

*Quaest. 203. Quotuplex olim fuerit, & modo sit cognatio spiritualis matrimonium dirimens.*

**1.** **R** Esp. ad primum: Antiquo jure decretalium, ut habetur *c. 1. h. t. in 6.* tres erant R. P. *Leur. Jur. Can. Tomus IV.*

ejus species; paternitas nimirum inter Baptizantem & baptizatum, inter confirmantem & confirmatum; item inrer patrimum Baptizati vel confirmati, & inter Baptizatum vel confirmatum; compaternitas, nimirum inter baptizantem vel confirmantem, paternos ex una parte, & inter baptizati vel confirmati parentes (intellige, sive hi sint legitimi, sive illegitimi. Pirh. h. t. n. 12. Sanch. *cit. d. 54. num. 16.*) ex altera parte, ita ut hi essent compatres baptizantis vel confirmantis, transferebaturque utraque hæc cognatio à viro ad uxorem, ita ut, si conjugatus aliquis baptizaret vel confirmaret, vel patrinus esset, uxor ejus similem cognationem cum iisdem personis, baptizato nimirum vel confirmato eorumque parentibus contraheret; eò quod uxor censeatur una caro cum marito suo, *c. Martinus h. t.* unde & oriretur dicta cognatio inter baptizatum & uxorem suscipientis illum è Baptismo seu patrini, vi *c. nedum h. t. in 6.* requirebatur, ut ante susceptionem fuisset uxor & cognita viro. Pirh. h. t. num. 21. Fraternalitas, nimirum inter filios carnales (intellige etiam illegitimos & spurios. arg. *c. ex lueris. h. t.* Abb. *ibid. num. 3.* Alex. num. 4. Pirh. h. t. num. 9.) baptizantis confirmantis, uti & patrinatorum ex una parte, & ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte; ita ut baptizatus vel confirmatus esset & diceretur confrater filiorum baptizantis vel confirmantis, uti & filiorum ipsius patrini vel matris. ita Sanch. *cit. d. 54. num. 9.* Laym. l. c. num. 1. Pirh. h. t. num. 3.

2. Resp. ad secundum: Jure novo Trident. *sess. 24. c. 2. de refor.* sublata cognatione fraternalitatis, dux sunt tantum species cognationis spiritualis ortæ ex Baptismo & confirmatione dirimentes matrimonium, nempe paternitas & compaternitas; earumque neutra ad uxores transfunditur; sive dirimitur solum matrimonium inter patrimum & baptizatum ipsum, & inter illius patrem ac matrem; item inter baptizantem vel confirmantem, & baptizatum vel confirmatum, & baptizati vel confirmati patrem & matrem. Atque ita, uti nec olim oriebatur, ita nec modò oritur hæc cognatio inter paternos ipsos; quare possunt maritus & uxor simul eandem prolem alienam levare ex Baptismo absque eo, quod impediantur petere debitum conjugale. Sanch. l. c. num. 13. Pirh. h. t. num. 32. adeoque etiam, dum dicitur in Trid. l. c. quod inter quos (suscipientes nimirum) ac baptizatum ipsum spiritualis cognatio contrahatur, sensus non est, quod patrini illi inter se contrahant cognationem, sed quod ea contrahatur inter ipsos & alias personas ibi enumeratas, nimirum baptizatum & ipsius parentes. Sanch. l. c. num. 10.

*Quaest.*